

(1.1., c.4) Postera die, ut iussum fuerat, sine mora convocant cetum, congregant populum; conveniunt simul omnes in unum, femina residens in sublimi solio conacionatur ad agrestes viros: "O

plebs miseranda nimis, que libera vivere nescis," et quam nemo bonus nisi cum vita amittit, illam vos non invitit libertatem fugitis et insuete servituti colla sponte submittitis. Heu tarde frustra vos penitebit, sicut ranas penituit, cum ydrus, quem sibi fecerant regem, eas necare cepit. Aut si nescitis, que sint iura ducis,

temptabo vobis ea verbis dicere paucis. Imprimis facile est ducem ponere, sed difficile est positum deponere: nem qui modo est sub vestra potestate, utrum eum constitutis ducem an non, postquam vero constitutus fuerit, vos et omnia vestra erunt eius in potestate. Huius in conspectu vestra fabricitabant genua, et muta siccio palato adhererebit lingua. Ad cuius vocem pre nimio pavore vix respondebitis "Ita domine, ita domine", cum ipse solo suo nutu sine vestro preiudicio hunc dampnabit et illum obtinucabit, istum in carcerem mitti, illum precipiet in patibulo suspendi. Vos ipsos et ex vobis, quos sibi libet, alios servos, alios tortores, alios precones, alios cocos seu exactores, alios molendinarios faciet. Constituet etiam sibi pistores aut molendinarios. Constituet etiam sibi tribunos, centuriones, villicos, cultores vinearum simul et agrorum, messores segetum, fabros armorum, sutores pellium diversarum et coriorum. Filios vestros et filias in obsequiis suis ponet; de bubus etiam et equis sive equabus seu peccoribus vestris optima queque ad suum plactum tolliet. Omnia vestra, que sunt portora, in villis, in campis, in agris, in pratis, in vineis, auferet et in usus suos rediget. Quid multis moror? Aut ad quid hec, quasi vos ut terream, loquor? Si persistitis in incepto et non fallitis voto, iam vobis et nomen ducis et locum ubi est indicabo.

ta